

FR. 134.
91

II f
222

*De Thoma Habescio episcopi impiorum
erroribus*

X 23A6835

ORATIONEM GERMANICAM

JUSTITIÆ & FORTITUDINIS
PRÆSTANTIA,

D. XXII. MAJI

IN AUDITORIO MAJORI,


è memoria habendam.

Ut audire dignentur,

Venerabiles Dnn. Inspectores, Patronos atq;
Fautores lingvæ vernaculæ omnes

Officiose & amanter rogat

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ RECTOR.



CYGNÆ,

Literis Büfchelianis.





Thomas Hobbesius, natione Anglus, naturam faurtricem expertus est in tribuendis ingenii dotibus. Sed uti vis illi ingenita latere diu ac tenebris involvi haud potuit; quin superiori seculo semet prodidit statim, & literarum orbem in considerationem sui traxit operibus: ita, dum pessime elocavit bona sua, iustissimam cordatorum hominum indignationem in se concitavit. De Leviathane, quo in libro potestas civitatis ecclesiasticæ pariter & civilis percensetur, hoc celebris Wilkinsonus iudicium tulit, esse illum ingentis quidem molis, non vero verecundia: esse religioni æque ac modestiæ peregrinum, optandumque, ut ne sit aliqua ex parte ejusdem cognationis cum serpente tortuoso, quem Propheta nominat: (a) adeo hunc autorem aut nulli aut omnium se religioni addixisse: ut qui non erubescat asserere, nos ad recipiendas Christi leges civilibus repugnantes non obligari: si iussi Christum negassent, non ipsos negasse, sed jubentes. (b) Eundem Robertus Scharrock sustulisse ait conscientiam, facilemque edidisse hypothesin, sed horrenda quocunque morum introducere ausum portenta. (c) Imo Henricus Hickmannus Hobbiū vocat celo in visum caput, nec hæretici nomine dignandum. (d) Politicam imprimis Hobbesianam patriæ suæ morbis exulcerandis, quam mitigandis accommodatam magis existimat Sam. Marefius. (e) Civem enim ille inter alias operas formare in animum induxit, compositis in eam rem elementis. (f) In quo libello non diffidetur Jac. Thomassius multa reperiri, quæ, si fontes, unde illa proflexerint, obstruxeris, aut removeas, ita se præclare habeant, ut his contraria statuere nefas omnino esset. Eam rem fortasse doctissimis etiam viris persuassisse, uti lectioni ejus multa debere in hoc scripturæ genere voluerint. Quamquam simul dubitandum putat, an, quæ ex Hobbesio sic mutuati sua fecissent, omnia sint ejusmodi, ut in eorum delectu nihil peccaverint. Juvenibus certe, qui adhuc in limine morantur Philosophiæ Practicæ, nunquam se autorem fore, nec suadere posse, ut in Diaboliaco hujus Malmesburiensis Doctoris Scholam se tradant. Non enim quemlibet artem didicisse eam, qua è stercore aurum seligatur, vixque credibile esse, è tam truci veneno vel unciam boni liquoris posse extrahi, nisi ab eo, qui esset illud in sapientia civili, quod in naturali scientia bonus Chymicus, hoc est, maximus miraculorum patrat. (g) Hoc quam sit veritatis consentaneum, vel inde patet, quod elementum probitatis humanæ in eo ponit, quod bellum à quovis in quemvis pro voluptate corporis, pro gloria inani, pro commodo privato, pro turbulentissimi cujusque libidine susceptum juri naturali non repugnare contendat. Audiamus ipsum loquentem: negari, inquit, non potest, quin status hominum naturalis, antequam in societatem coeatur, bellum fuerit, neque hoc simpliciter, sed bellum omnium in omnes. (h) Vel ut alio loco sententiam suam exponit: in statu merere naturali, sive antequam homines ullis pactis se invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere, quæcunque & in quoscunque licebat, & possidere, uti, frui omnibus, quæ volebat & poterat. (i) Scilicet sicut pisces infesti inter se & infensi natant, validiorque semper imbecillioem devorat, quorum proinde & oculi infomnes perpetuo vigilant: (k) aut sicut Cadmei fratres sparso semine illico pullulasse finguntur apud Poëtæ, crevitque clypeata virorum seges, stetitque armata manus in mutuum caedem mox ruitura: (l) ita hominum in statu naturali viventium omnem turbam furere Marte suo, mutisque cadere vulneribus. Et ne quis civiles societates, tanquam fœtus non malignæ matris, tanto Philosopho objiciat, quippe per quas universam civitatis compagem coalescere & contineri nemo inficias ibit; emollit paulisper mentem suam, & inter cives quidem ejusdem reipublicæ, quos metus colligaverit, sublatam inimicitiam illam naturæ; adversus extraneos autem non exui, non deponi, sed in ipsa natura altis infixam radicibus manere pronunciat. Sic enim animi sui sensa aperit: hostis est quisque cuique, cui neque paret, neque imperat. (m) Et rursum: status civitatum inter se naturalis, i. e. hostilis est. Neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio,

(a) *Esf. 27.*

(b) *in concione d. scientia Christi p. 27.*

(c) *lib. de officiis secundum jus nat. in præfat.*

(d) *in dissert. latina de hæresibus origin. conf. Joh. Timpleri*

idea Theologia Levianthani. Mart. Kampii Charismatum sacr. trias f. bibliotheca Anglorum Theol. 12. l. 3.

(e) *in controu. contra Turinam p. 476.*

(f) *Hobbes. elementa d. civis.*

(g) *in præfat. 52.*

(h) *element. d. civ. c. 1. n. 12.*

(i) *l. c. n. 10.*

(k) *Oppian. halient. l. 2.*

(l) *Ovid. met. 3. fab. f.*

(m) *l. c. c. 9. n. 3.*

in qua hostis alter alterius motum vultumque observans securitatem non ex-
 pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat. (n) Unde in tantum ex-
 tollit civitatis statum præ naturali, quasi extra civitatem propriis tantum
 viribus protegeremur; in civitate omnium: extra civitatem fructus ab
 industria nemini certus; in civitate omnibus: extra civitatem imperium as-
 sectuum, bellum, metus, paupertas, fœditas, solitudo, barbaries, ignorantia,
 feritas; in civitate imperium rationis, pax, securitas, divitiæ, ornatus, socie-
 tas, elegantia, scientia, benevolentia. (o) Ut vero non suo litasse genio argua-
 tur Hobbius, rationes varias in medium affert, quibus terrarum orbi sua pla-
 cita venum exponat. Namq; consideranti sibi humanã naturam duo maxime
 occurrisse ait, quæ innatam homini ad bellandum ac præliandum propensio-
 nem aperte confirmarent, facultatem & voluntatem, illam in dubium vocari
 nequaquam debere. Pollere hominem viribus & robore: gaudere solertia
 ingenii atque sagacitate: quod omnium habetur terribilissimum, mortem in-
 ferre cuilibet valere. Hujus experientiam certe testem locupletissimam esse.
 Etenim quosdam sibi solis per insolentiam arrogare honorem, decus, for-
 tunam, excellentiam, aliosque in consortium admitti ægrius ferre: omnia
 sibi licere velle: socios sibi laudem præreptam cupientes, aut palmam facien-
 tes dubiam petulantè laceffere. Inde etiam modesto ingenio natos ad arma
 provolare compelli. Existere præterea in maximis animis splendidissimis-
 que ingeniis acrem plerumque concertationem: cum illa dignitatis obtine-
 re principatum cogitent. Quicquid vero est ejusmodi, in quo non possunt
 plures excellere, in eo fere tanta fit contentio, ut difficillimum sit sanctam
 servare societatem; præsertim ubi plures ad eandem rem adjungunt ani-
 mos. Hunc fontem esse perpetui timoris, hanc originem suspicionum, hoc
 fuscitabulum antevertere alios in occupandis bonis cupientium. (p) Cui ma-
 lo fortissimi quoque scriptores ferre suffragia videntur. Nulla tam detesta-
 bilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur. (q) Cætera animan-
 tia in suo genere probe degunt; leonum feritas inter se non dimicat: ne ma-
 ris quidem beluæ pisces, nisi in diverso genere piscium, sæviunt: at hercle ho-
 mini plurima ex hominibus sunt mala. (r) Ab homine homini quotidianum
 periculum est. (s) Jam serpentum major concordia, parci cognatis maculis
 similis fera, quando leoni fortior eripuit vitam leò? quo nemore unquam ex-
 piravit aper majoris dentibus apri? Indica tigris agit rabida cum tigride
 pacem perpetuam, sævis inter se convenit ursis. (t) Lupus (imo Diabolus)
 est homo homini, non homo. (u) Pernicies homini quæ maxima? solus ho-
 mo alter. (w) Equis igitur vituperaret Cretensem illum Cliniam, qui ratio-
 nem redditurus, quare Cretensium legislator multa instituta ad rem
 militarem pertinentia induxerit, subjungit: in quo sane arbitror, eum
 stultitia crimine permultos condemnasse, quod minime intelligant, bellum
 civitatibus omnibus cum omnibus jure ac perpetuum esse. Quam enim ple-
 riq; pacem nominant, id esse nomen solummodo existimandum; et vero ipsa
 omnibus civitatibus adversus omnes indictum bellum natura esse. (x) At
 ista quidem & hujuscemodi alia ad statum corruptum referri oportebat, non
 ad naturalem, de quo hoc loco disputatur. Quem enim hominem Hobbesius
 tam deformem, tam horroris plenum & quavis fera bestia immaniorē fingit,
 eum ipsum sciat, scripturæ, cujus fides nunquam fallit, autoritate convic-
 ctus, ad amorem mutuum, ad charitatem minime fucata, ad suavem con-
 cordiam, ad officia præstanda conditum ab optimo artifice Deo & in hanc
 anam collocatum. Animam accipiebat Adas è limo terræ formatus. Dece-
 rat socia. Socia illi dabatur ipso Deo pronubo adducta, quam suam esse & ex
 ossibus suis extemplo agnoverat maritus; & ea quidem socia, cui parere,
 maritique imperium ferre dulce erat; quippe quod non violentia, non im-
 petus aut metus, sed amor omni vinculo validior, sed benevolentia quavis co-
 pula adstrictior, sed probitas mori constituerat quovis magnete potentior;
 quod deinde ulterius bonitate sine acerbitate ulla retinebatur. Sic origo ge-
 neris humani æterno fœdere homines invicem necere; sic non tantum simi-
 litudo naturæ, quæ ad conjunctionem alias etiam in quolibet animantium

(n) l. c. c. 15.
 n. 7.

(o) l. c. 20. n. 1.

(p) l. c. c. 1. n. 3.
 f.

(q) Cic. l. 2.
 offic.

(r) Plin. H.
 N. l. 7. proœm.

(s) Senec. l.
 14. ep. 103.

(t) Juvenal.
 sat. 11.

(u) Plaut. A-
 sinar.

(w) Anson.
 epigr.

(x) Plaut. l. 1.
 d.

114
222

(y) Puffend. dissert. Acad. de statu hominum naturali. 8. 15.
(z) Puffend. d. jur. N. & G. l. c. 1.
(aa) Cic. l. 1. d. nat. Deor.
(bb) Senec. d. beneficiis. l. 4.
(cc) Juv. sat. 16.
(dd) Ovid. met. 1.
(ee) Lucr. l. 1. d. nat. rer.
(ff) Manlii. lib. d. divin. animi.
(gg) Senec. controuv. c. 2.

genere non parum confert: (y) verum & propior cognatio ex eadem stirpe & sanguine enata copulare animos debebat. Ipsa porro excellentia hominis belli asperitate reformidare cernitur, & a profano belligerantium tumultu procul habitare velle. Etenim bellum injurias violentas inferre amat multo, sæviti in viscera miserorum & atro sanguine pascitur, aut quæ cuique debentur, vi extorquere & obtorto quasi collo rapere intendit. (z) At omnium animantium figuram forma vincit hominis. (aa) Infitæ sunt nobis omnium atatum omniumque artium semina magisterque Deus producit ex occulto ingenia. (bb) Venerabile foli fortiti ingenii divinorumque, capaces, atque excercendis capiendisque artibus apti sensum à cœlesti demissum traximus arce, cujus egent prona & terram spectantia, (cc) Nam sanctiori animali, & quod dominari in cœtera posset, os homini sublime dedit Deus cœlumque; tueri iussit, & erectos ad sidera tollere vultus. (dd) Denique cœlesti sumus omnes semine nati, omnibus ille idem pater est. (ee) Exemplumque Dei quisque est in imagine parva. (ff) Neque feris inter se bella sunt; nec si forent, eadem hominem decent, placidum proximumque divino genus. (gg) Qui vero animal tam sanctum & ad exemplar divinitatis expressum in vesanam bellandi cupidinem natura ducere veret? Pudorem sapientissimus creator in sevit homini, qui esset custos virtutis & frenum validum reprimendæ malitiæ. Quamvis enim non omnis pudor ex neglectu justii oriatur; quia multo latius ejus vis patet: neque eadem ejus species sit; quia alius habetur necessarius, cujus contemptu turpitudò conflat; alius probabilis & decorus quidem, at non necessarius, ideo cum adest, laudatur; si quis eo careat, non culpandus est; alius improbus, qui & rusticus audit, apud eos videlicet, qui non improba, imò etiam honesta agere verentur: (hh) fit tamen non sine causa, sed in nostrum decorem, ut minus bene consciis pulchra verecundo rubore ora suffundantur. Tristitia vero hæc, quam amor sui ipsius & opinio vel metus vituperii dicitur, frustra nobis implantata esset, si omnibus in omnia pro lubitu grassandi facultas à natura daretur, & in effrenem ejusmodi audaciam prorumpere solo illius prætextu liceret. Et profecto non carpendus foret Plinius, quod negat æstimarifatis posse, parens melior homini, an tristior noveca fuerit natura, cum illum nudum, & in nuda humo natali die abjicit ad vagitus statim & ploratum, sicut etiam, quod Plinio non in mentem venerat, in lanienam disponat, infliget, extrudat, animes, quo nihil dici tristiam, nihil truculentius cogitari potest. (ii) Deo verò sint gratiæ, non noceram nacti sumus naturam, sed matrem prolixissimam in nos benevolentiam. (kk) Itane igitur pudibunda natura ore horrido fremeret & saxa facesque creparet & arma? Homine nullum animal intentius societatem amat. πολλὸν ἂν ἀνθρώπων ἐξ ἑωπιῶν ζωῶν, πάσης ἐπιτήτης καὶ παντὸς ἀγαλαῖς ζωῶν μάθον. (ll) Non apes tantum fociantur inter se neque ulli grex animantium, quam homo, qui fieri avet ad societatem aptissimus. Nam fornicæ, apes, ciconiæ aliorum etiam causa quædam faciunt: multo magis hæc conjunctio est hominis. (mm) Ex quo colligas, naturam appetere societatem ordinaram. Ordo autem sine imperio non intelligitur, cum nulla societas sit sine imperio. Quare imperium res naturalis recte dicitur, neque quicquam tam aptum erit ad jus conditionemque naturæ, quam imperiū, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare nec rerum natura omnis nec ipse mundus potest. Nā & hic Deo pareat & huic obediunt maria terræque; & hominum vita iussis supremæ legis obtæperat. (nn) Facessat igitur spinosa & execranda Hobbii de homine cogitatio. Epicurum enim principem Atheorum secutus transformavit homines in bestias, cum Plato & Pythagoras è bestiis, dum rationem ipsis dedissent, fecissent homines, & tale jus excogitavit, quod potius bestiale vocaveris, quàm humanum. (oo) Corrupt homo atque elisit genuinam virtutis indolem graviter, quod cum ex aliis quam plurimis, tum ex eo apparet, quod justitiam in statu naturali esse neget, fortitudinem metu dimetiatur. Quanto sapientius Agesilaus qui interroganti, utra virtus præstantior fortitudo; an justitia? respondisse dicitur, fortitudinem, si absit justitia, nulli usui esse, & si justitiam omnes colerent, nihil opus fore fortitudine. De harum virtutum laude, comparatione facta, dicitur est publice

(hb) Mevii jur. nucleus nat. & gent. inspect. 2. n. 10.
(ii) H. N. 1.7. proæm.
(kk) Thomaf. pref. 1.
(ll) Arist. Pol. 2. p. 13.
(mm) Cic. 3. d. fin.
(nn) Cic. 1. 3. d. leg.
(oo) Thomaf. pref. 1.

JOH. FRIDERICUS TROPPANNIGERUS, Dresdensis.
Deus etiam à medicina mentis nugas, dolos & fucos omnes avertat! P. P. Cygneæ d. 21. Maji, 1702

II f
222

FR. 134.
91

De Thoma Hebbesio episcopo imperialis
ceremonibus

X 231.6835

ORATIONEM GERMANICAM
DE
JUSTITIÆ & FORTITUDINIS
PRÆSTANTIA,

D. XXII. MAJI
IN AUDITORIO MAJORI,
è memoria habendam,
Ut audire dignentur,


Venerabiles Dnn. Inspectores, Patronos atq;
Fautores lingvæ vernaculæ omnes,

Officiose & amanter rogat
M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ RECTOR.



CTGNEÆ,

Literis Büschelianis.



Farbkarte #13

B.I.G.

